

Admodum Reverende Pater

Mense Maio huius anni capitulum generale Coelestinorum more solito celebratum est in monasterio principali totius congregationis, ad quod ego etiam proficisci volui non sine magno meo incommodo ob 5 aetatem tam gravem, et itinera satis prolixa et difficilia. Sed per gratiam Dei non fuit inutilis praesentia mea, neque sermones quos ad patres illos simul congregatos habui de foelicitate religiosorum observantium regulas sui ordinis, et de infoelicitate religiosorum relaxatorum. Atque in primis magna concordia et consensu elec- 10 tus fuit Abbas generalis in quem ego optimum omnium qui aderant esse mihi facile persuadeo. Deinde decretum est, ut maxima ratio habeatur novitiorum optime instituendorum et ea de causa novitii omnes ex quatuor provinciis italicis revocati sunt ad unum locum ubi semper viguit monastica disciplina: neque amplius permittetur 15 ut singula monasteria novitios habeant, nam et difficile est multos insignes magistros novitiorum invenire, et non minus difficile in parvis monasteriis novitios paucos continere separatos ab aliis monachis. De studiis quoque philosophiae et theologiae reformatis actum est et decretum, ut ad paucissima et commodissima loca omnes 20 scholastici revocentur, ut multi sint in eodem gymnasio scholastici, et eximios habeant paeceptores. Denique gavisus sum valde quod invenerim in monasterio illo principali usum orationis mentalis post nocturnum officium imo etiam post omnes singulas horas canonicas, quae mentalis oratio utilissima semper habita est homini- 25 bus religiosis. Haec referre volui R<sup>dae</sup> Paternitati vestrae, ut in capitulo provinciali videat cum aliis patribus an expediat talia decernere tam de novitiis, et scholasticis, quam etiam de mentali oratione, ut provincia vestra quae de reformatione et observantia gloriatur nulla in re inferior inveniatur italica provincia sed eam 30 emuletur in bono quemadmodum vehementer opto ut provincia italica

26 oct. 1612. Bell. à prov. Célestins (suite)

3028<sup>a</sup>  
1228<sup>a</sup>

✓ sancte emuletur gallicanam in multis aliis quae ad integrum regulae observantiam pertinent. Haheat R<sup>da</sup> Paternitas vestra mei memor in orationibus suis. Romae 26 octobris 1612.

Admodum R<sup>dae</sup> Paternitatis Vrae

5

Uti frater

Robertus Cardinalis Bellarminus.

Admodum R<sup>do</sup> Patri, Patri Provinciali Coelestinorum Galliae. Pari-  
sios.

---

Paris.Bibl.Nat. fonds franç. 15794.f.51. copie.

✓ Epist.famil. XCIII.